



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. omnino nudus & spinis coronatus fuerit crucifixus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Ludolphus. in libr. meditat. vitæ Christi cap. 78. & *Ludolphus* 2. part. vitæ Christi cap. 73. & lib. reuelationum S. Brigittæ cap. 10. vbi etiam scribitur, postquam altera manus confixa fuit cruci, fune attractam esse alterâ, donec pertingeret ad foramen in alia crucis parte factum. Et huic sententiæ videtur fauere sancti, qui de crucifixione Christi per modum ascensus loquuntur, vt *Ambrosius* lib. 10. in *Lucam* cap. *Qualis Christus crucem ascendit*, quod sic incipit: *Refert igitur sic considerare qualis ascendat, &c.* & *Cyprianus* ser. de passione Domini. *Ascendisti Domine palmam, quia illud crucis tue lignum portendebat triumphum de diabolo*, & *Greg. Cant.* 7. ita explicat, illud, *Ascendam in palmam*, & apprehendam fructus eius, quia in cruce suspensus fructum vite apprehendit, iuxta illud *Gen.* 49. *Ad pradam fili mi ascendisti*. Sed hæc facile possunt ad vtrumque dicendi modum accommodari, & ideo vtrumque potest quilibet pie meditari, nam quomodo re ipsa factum sit, incertum est.

Dubium 2. Secundo quæri potest, quot clavis fuerit Christus affixus. Nam cum certum sit non fuisse pauciores tribus, nec plures quatuor, non satis constat, an fuerint tres, vel quatuor. Multi enim censent fuisse tantum tres, quod sentiunt *Bonaui.* & *Ludolphus* *Carthusian.* locis antea citatis, & nonnulli recentiores, videturque esse communis sensus populi Christiani, frequens pictura Christi crucifixi. Ratio vero adiungi potest, vel quia hic numerus clauorum sufficit, vel quia maiorem cruciatum, & dolorem affert, quia si tantum fuerunt tres clavi, oportuerit vtrumque pedem alterum superpositum alteri, vno clauo confingi, quare necesse fuit huiusmodi clauum longiorem, & crassius esse, ac proinde magis, magisque terebrare pedes. Propter quam rationem videtur in hanc sententiam inclinare *Abulen.* *Parad.* 3. cap. 10. Eamque nonnulli confirmare nituntur ex citatis historijs de inuentione clauorum, sed nihil ex eis effici potest, quia nihil dicunt de numero clauorum, & *Ambrosius* & alij tantum duorum mentionem faciunt quorum alterum in frango equi, alterum in clypeo *Constantini* *Helena* ponendum curauit. Aliorum vero opinio est, eos clauos fuisse quatuor, ita sentit, *Greg. Turon.* lib. 1. de gloria martyrum cap. 6. vbi dicit in stipite crucis fuisse tabulam, in qua pedes Christi singulis clavis infixi fuerunt. Et huic sententiæ videtur fauere *Cyprian.* serm. de passione, dicens *Clavis sacros pedes terebrantibus*, atque eadem sententia habetur i. libr. reuelat. S. Brigittæ ca. 10. & illi fauent aliquæ antiquæ imagines, in quibus cernitur Christus hoc modo crucifixus. Et potest etiam afferri coniectura: tum quia difficile erat vtrumque pedem vno clauo perforari, & præsertim, quia erat vehemens periculum, ne aliquod os confringeretur: cum tamen certum sit nullum os corporis Christi fuisse confectum, in hac re nihil certi statui posse existimo.

SECTIO IIII.

Virum Christus omnino nudus, & spinis coronatus fuerit crucifixus.

Explicato mysterio crucifixionis Christi, sequitur, vt de circumstantijs eius dicamus. Incipimus autem ab ijs, quæ propinquiore videtur Christi corpori, hæc verò tantum duæ sunt, quæ in titulo proposito attinguntur.

Circa priorem ergo partem de Christi nuditate: Vnum videtur certum, scilicet, Christum Dominum fuisse nudatum omnibus vestibus, quibus induebatur. Nam Euangelium dicit, milites diuisisse sibi vestimenta Christi, & super tunicam, quæ interior subucula fuisse existimatur, misisse sortem. In dubium ergo reuocatur, an nudus omnino fuerit crucifixus, vel aliquod velum ei sit datum, quo verenda tege-

Arentur. Quidam enim hoc posterius sentiunt, ac pie meditantur, quod legitur in dicto libro reuelat. S. Brigittæ, vbi Beata Virgo sic loquens introducitur. *Stante filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, vnus tunc accurrens apportauit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua.* Iuxta quæ verba Christus prius tectus fuit, quam crucifigeretur, vel in altum eleuaretur. Et confirmari potest, quia Christus tantum ea passus est, quæ ipse decreuit, ac voluit, ergo cum in hac nuditate videatur esse quædam indecentia valde repugnans honestati, verisimile est Christum ita decreuisse passionem suam, ac mouisse voluntates eorum qui astabant, vt huiusmodi nuditatem adeo verendam pati minime coactus sit. Denique propter hanc naturalem honestatem omnes crucifixi imagines hoc modo depinguntur, ergo verisimile est, propter eandem causam effectisse Deum, vt in ipsa re representata eadem honestas seruaretur.

Nihilominus communior sententia sanctorum Patrum est, Christum omnino nudum, absque aliquius partis velamine, crucem ascendisse. Ita *Ambrosius* lib. 10. in *Lucam*, vbi sic inquit. *Refert considerare qualis ascendat, nudum video.* *Talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formauit, qualis in paradiso homo primus habitauerat, & alius ad paradysum homo secundus intravit.* Idem significat *Athanasius* orat. de passione & cruce Domini dicens, *Exuebat vestimenta sua: dicebat enim, cum homines introduceret in paradysum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cum de paradiso eijceretur.* Atque eandem sententiam amplectuntur *Bonaui.* & *Ludolphus* locis citatis. Coniectura etiam adiungi potest, primo, quia Christus, cum alligatus fuit columnæ, vt flagellaretur, omnium sententia omnino nudus fuit, ergo non recusauit pro hominibus affici hoc dedecore, & dolore, atque tristitia ex huiusmodi pudore ort. Præterea (si ratione humana utamur) non est verisimile hostes ipsos Christi habuisse curam tegendi illum: quis etiam ex ijs qui astabant, ausus esset illi subuenire, aut hanc beneuolentiam in eum ostendere? quinimo, etiam si aliquis, vt Beata Virgo, Magdalena, & Ioannes hoc auderet, non fuisse permittus ab eis, qui omnem iniuriam, & ignominiam Christo vehementer optabant. Si autem diuinæ prouidentie rationem spectemus, nihil absurdum est, quod Christus nuditate sua nostram nuditatem aperire voluerit, omniumque temporalium rerum abiectionem perfectam docuerit. Item hoc signo manifestauit, fuisse à Patre relictum volentati, & arbitrio Iudæorum. Denique in huius rei confirmationem afferri potest, hanc Christi nuditatem figuratam esse in Noe *Genes.* nono, qui, cum vineam plantasset, inebriatus vino illius, omnino nudatus est. Quod de Christo eleganter explicant *Augustinus* 16. de *Ciuitate* cap. 2. & lib. 12. contra *Fauft.* ca. 263 & *Cyprianus*, epistol. 63. *Rupertus*, & *Eucher.* in *Genes.* In re igitur incerta, hæc sententia posterior probabilior videtur.

Ecirca posteriorem partem prima sententia est, Christum non fuisse crucifixum cum spinea corona, quia quando nudatus est chlamyde coccinea, & propriis iterum indutus vestibus ad portandam crucem, deposuit cetera insignia regia, quamuis ludicra, ergo verisimile est etiam tum ablaram illi fuisse coronam. Ita colligit *Euthym.* cap. 67. in *Matth.* Sed hæc opinio nullam affert probabilem coniecturam, & ideo probabilior est altera sententia, quæ affirmat Christum ductum esse ad patibulum cum spinea corona, & cum eadem esse Cruci affixum. Ita docuit *Orig.* tract. 35. in *Matth.* qui melius quam *Euthym.* ita colligit ex verbis *Matt.* De chlamyde scriptum est, quoniam denuo spoliauerunt eum chlamyde coccineam, de corona autem spinea nihil tale Euangelista scripserunt, propterea quod, & nos quæere voluerunt exitum rei de corona semel imposita, & nunquam detracta. Et eandem